



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Deus qualis sit in seipso, qualis in creaturis: quid item sint in Deo altitudo, longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Deus qualis sit in seipso, qualis in creaturis: quid item sint in Deo
altitudo, longitudo, latitudo, sublimitas &
profundum.*

CAPVT XVI.

S Icharissimum sponsum tuum, quantum possibile tibi est, contemplari desideras, omnes sensus viresq; animæ tuæ recollige, omnibusq; creaturarum imaginationibus occupationibusq; abiectis, temetipsum cum charitate, introrsum ad Deum conuerte, cum humili quodam timore proloquens: *Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*: ac sic demum proprietates à nobis specialiter Deo attributas, mente tua speculari, vt quisnam qualisve sit Deus, videre possis. *Essentia*, vt quidam ait, primum omnium & præcipuum Dei nomen est, tamen reuera supra omne nomen & essentiam incompræhensibilis sit Deus. Hic mihi iam oculos reflecte ad super substantialem illam iugiter permanentem essentiam in simplici sua, nudaq; vni formitate acceptam, omni non esse neutiquam permixtam, abiectaq; omni partita essentia, quæ sunt creaturæ, videbis Deum à nemine prorsus esse, nihil vel ante vel post se habere, sed omnium esse præsentissimum, omnium operosissimum, optimum, perfectissimū, pulcherrimum, cui plane deest nihil, cui nulla inest mutatio, quum sit perpetuum quoddam vnicum vñ intellectuales spiritus, & vita æterna, qui sui ipsius, & omnium qui illo beatè fruuntur in gloria, supernaturalis ineffabilisq; beatitudo est, qui est Rex regum & Dominus dominantium: cuius maiestas & magnitudo finem non habent, qui omnes creaturas immenso superexcedit intervallo, quem nulla creatura perficere cognoscere potest, qui omnem creaturalem essentiam præsentia sua circumscribit, implet, conseruat, regit sine labore, qui omnium creaturarum essentiarum est essentia, qui omnibus rebus bonis & essentia participibus inest, cum tamen omnibus illis ipse connumerandus non sit, sed longè sit supra omnia. Huc spectat quod ait. D. Augustinus: Vides bonum hominem, bonum cælum, bonum angelum, de- mas inde hominem, cælum, angelum, & ipsa substantia boni Deus est. Omnes creaturæ boni & amoris simul sunt participes, non sunt tamen bonum ipsum aut amor ipse, sed Deus solus, is vnus est substantia boni illius & amoris. Hac inquam simplex essentia, summa atque ad eodè prima causa est omnium aliarum generatarum essentiarum, quæ sua peculiari præsentia omne temporaliter natum resoluit, vt pote principium & finis rerum omnium. Quare non incommode dixit quidam, Deum esse veluti circulum quendam, cuius punctus aut centrum est vbique, circumferentia ipsa nusquam. Hic sollicitius velim perpendas, quomodo omnipotens ille Dominus semper tibi adsit, adeoq; tibi in sit, suaq; ineffabili & melliflua charitate aspiciat ac perspiciat vniuersam vitam tuam, omnia verba, opera, cogitationes tuas, mille cuplo magis, multoq; penitius, quam adem posses ipse. Te etiam obseruat vbique, tibi benigne prouidet, curam tui gerit sollicitam, parat obuiò sinu te reuertentem suscipere. Quamobrem ad Dominum amanter reuertus, cum omnibus viribus & studijs tuis, te ipsum immerge ac effunde in diuinam
illius

Psal. 26.

Essentia Dei
vni qualisque
sit.Deus quid
sit.

Apo. 19.

Augusti.

Deus vt sit
causa om-
nium rerumDeus vt sit
omnibus
præsentissi-
mus.

illius essentiam, quo tuum non esse, tuamque impotentiam ibidem recipiatur & renouetur, & ut ita dicam, habituetur in diuina illius essentia, quae sola vera est essentia. Essentia autem eius, operationes illius sunt; cognitio eius, amor illius, misericordia eius, iustitia illius est. Haec omnia vnum sunt, sed quomodo haec vnitas fit in trinitate, nulli ingenio est comprehensibile. Huc ingredi, huc multiplicem tuam multiplicem abijce, ut ille eam simplicem faciat, in aeternae diuinitatis suae simplici essentia. Ad haec attendes absconditum illud diuinae maiestatis secretarium, quomodo scilicet in omnibus ipse absconditus delitescit, ut testatur Esaias, dicens: *Veretum es Deus absconditus*. Et alioqui haud vulgare est argumentum omnipotentiae diuinae quod ita semet occultare nouit, ut praesentia illius neque obseruari, neque perspicere facile queat, nisi quantum vniuscuiusque hominis salutem maximè est proficuum: quum tamen Deus vnicuique creaturae multò sit vicinior, quam ipsa sibi. In ipsis item animarum intimis recessibus occultatur, sensibus & viribus ipsis, longèque ignotus ultra omnes cogitationes est externas. Praeterea in omnibus etiam creaturis occulta Dei iudicia intueri. In his occultis temet occulta non imaginario, sed essentiali modo eleuatus supra omnes imagines & formas, supraque omne id quod essentiae dispar est, cum omnibus adfectibus viribusque tuis. Attende etiam diuinam illam caliginem quae in seipsa lucidissima claritas est, qua omnis creatus intellectus (quatenus scilicet claratus est) repercutitur in ignorantiam & obsecrationem sui, haud secus, quam infirmi vespertilionis ocelli solis splendore obcecantur. Huic vicissim confer tuam profundissimam caecitatem, Cimmericis, ut aiunt, tenebris densiorem, omni verò lumine orbatam, & diuinam caliginis abyssum sibi soli finito esse perspicuam. Postremo humiliter etiam contemplari poteris altitudinem, profunditatem, latitudinem, & longitudinem Dei, sicuti Paulus scribit. Primo igitur vide quomodo Deus ad eum immensè altus sit, ut quum omnia possit, nullam tamen possit condere creaturam altitudinis suae capacem. Quam altitudinem & tu aliquomodo imitaberis, si mentem tuam summam ad venerationem supra omnia creata fortiter eleues in altitudinem Dei, ubi Deus ad eum altus ad eum tibi apparebit immensus, ut quicquid Deus non est, ceu quisquillas viles & ridiculas derideas. Eodem modo se habet & profunditas diuinae abyssi, quae & ipsa omnibus est creaturis incomprehensibilis. Huius exemplo totus diffuses in verissimum tuum non esse, & in aegritatem fragilitatemque tuam. Latitudo Dei ipsa generalis est amor Dei, per quem Deus in omnibus creaturis, in omnibus regionibus, locisque vniuersis, in omnibus exercitiis speciebus & operibus bonis, praecipue tamen in Eucharistiae sacramento & in cordibus mundis se donat & communicat. Nil aequè commune, nihil aequè obuium est atque Deus, qui saepe vel vna bona voluntate, vnicuique suspirio ex intimo corde profecto comparabilis est. Hanc latitudinem imitabimur per ociosam & nullis occupationibus distractam mentem ad Deum, perque generalem ad omnes homines dilectionem. Longitudo verò quae & aeternitas Dei (nec praecedens nec subsequens vllum habens nec habitura vnquam) tranquillam quoddam est & immutabile nunc, in quo vniuersa praesto adsunt, per continuum quendam respectum sui, & in ipso omnia etiam praesentia. Hanc longitudinem imitaberis per mentem eleuatam, ac sursum prorumpentem, immergendo & abnegando teipsum & omnes creaturas, in tempore aeterno & in aeternitate.

Deus quae fit absconditus. creaturis. Esaias 45.

Iudicia Dei quam sint occulta.

Claritas Dei quanta sit.

Ephes 3. Altitudo & profunditas Dei quomodo contemplanda & imitanda.

Latitudo Dei quomodo confidenda & imitanda.

Longitudo Dei quomodo contemplanda & imitanda.

